exercitationibus etiam corporalibus vacent; legant, vel scribant res spiri-
tuales, in solitudine ac silentio degant, in monasterii negotiis, vel trac-
tatibus non se intromittant: Soli Magistro eorum confessiones audiendi cu-
ra committatur. Licebit tamen Superiori etiam locali, si ita expedire ju-
dicaverit per seipsum, vel per alium ab eo deputandum semel aut bis in an-
no eorum confessiones audire. Numquam eos adhibeant Superiores vel ad ele-
emosynas conquirendas (nisi semel in mense, et ad breve tempus, ac in vi-
cinis locis exercendę tantum mendicitatis gratia) vel ad comitandos fra-
tres domo exeuntes, vel ad alia exteriora Conventus negotia peragenda. Mo-
destam animi recreationem eisdem Superiores concedant, quę intra, vel quan-
doque etiam extra claustra in solitario loco, et comodo semel in hebdoma-
da vel in alterutris saltem hebdomadibus longior statuatur: fiatque semper
Magistro pręsente, qui multum invigilet, ne duo ab aliis comorentur dis-
juncti; atque eo tempore cujusque in quam natura feratur propensionem scru-
tetur. Pro comunibus, et propriis cujusque necessitatibus quę eis accide-
re possunt a Superioribus in omnibus provideantur.

5. Quod vero loci qualitatem uniuscujusque Seminarii spectat, sit locus hujus-
modi quantum fieri poterit in situ magis quieto, ac solitario, et a cętero-
rum fratrum cellis disjunctus; itaut Clerici omnes in eodem Dormitorio serie
non interrupta in suis quisque cellulis comorentur; in cujus dormitorii
capite, vel è regione cellam habeat Magister, ut comodius super eo-
rum gestis, et actionibus invigilet. Ad Seminarii cellas nemini prorsus
nec etiam ejusdem vel alterius Ordinis regulari, pręter Superiorem, et Ma-
gistro ingressus unquam pateat: qui etiam raro, et justa solum interveniën-
te causa ad illas ingredi possint, januisque apertis ibidem commorentur. Ip-
si quoque Clerici in nullius (Superioris, ac Magistri cellis exceptis)
nec etiam suorum sodalium cellas, quovis pretextu unquam ingrediantur. Qui
hujus prohibitionis transgressor extiterit, nihil eo die obsonii sumat
nisi panem tantum, et aquam, et in publico refectorio disciplina corri-
piatur. Si quis, Clericorum quempiam alloqui voluerit Magistro presente,
et non aliter alloquatur. Neque Clerici, ne quidem secum invicem, nisi
in choro, refectorio, lectione spirituali, comunibusque exercitiis com-
morentur: in quibus exercitiis vel silentium servent, vel devotas orationes

recitent. Pro sacristiæ officio obeundo, non plures quam duo ex Clericis destinentur, quorum alter Superioris, ut vocant, alter inferioris sacristiæ curam habeat: in gravioribus vero obeundis laboribus, ut in Dormitoriis vel ~~et~~ Ecclesiis verrendis, in abluendis pannis, in ornandis ~~alis~~ solemni tempore altaribus, Clerici omnes interveniant, et operam suam singuli præstent, nisi forte eorum aliqui vel in divinis psallendis officiis, vel in aliis comunibus operibus, et exercitiis a Superiore vel Magistro fuerint actualiter occupati.

6. Quamdiu Clerici in Seminariis degerint, poterunt, imo et debebunt humanis literis operam dare sub ejusdem Magistri directione, ac regimine: qui idcirco diebus singulis in hujusmodi humanis literis eos erudiat, et vel gramaticæ lectione, vel latini auctoris explicatione, quam die sequenti memoriter recitare debeant, latinam linguam in eis perficiat; penitentiis consuetis in negligentes animadvertendo.

7. Si vero aliquando ex Clericis aliquis gravem defectum qui scandali sit, commiserit, et qui extrajudicialiter duobus testibus fide dignis probari possit. Aut etiam si quis eorum ita cervicosus sit, inobediens, contumax turbolentus, ut ceteris suis dissolutis moribus ruinam, et offensionem afferat: statuimus, ut in utroque casu, præter alias pœnas A. R. P. Provincialis de sui Diffinitorii consilio, et assensu, hujusmodi Clericum tamquam pecus morbida e Seminario expellat, et ad Sacristiæ munus obeundum ad alios Conventus mittat; et nisi prius tribus continuis annis indubitata emendationis, et resipiscentiæ signa præbuerit, nec ecclesiasticis Ordinibus insigniri, nec in studentium numerum referri possit.

8. Ne autem quod tanto studio ædificare, et construere nitimur omni * fere suo frustretur effectu: id quoque quam maxime curandum nobis est ut Superiorum in primis, deinde reliquorum fratrum qui in Seminariorum locis de familia sunt conversatio vita, et mores Clericorum educatio.

---

* Qui enim umquam fiet ut Magistro ad perfectionem incitanti, et regularem observantiam suadenti, educandi Clerici auscultent, si hanc e Conventibus ubi degunt exulare, impuneque, et palam prævaricationes varias grassari conspiciunt? Aut in quanam virtutum palestra, et religiosa

oni opitulentur potius, quam pravo aliquo exemplo detrimentum af-
ferat. Quapropter presenti quoque decreto statuimus, et ordinamus
Superioribus respective, ac Subditis, ut in prefatis cęnobiis ubi semina-
ria collocata, vel collocanda sunt, quę cumque Regula et Constitutiones no-
strę prescribunt, presertim quoad substantialia regularis observan-
tię capita, ut sunt chori Assistentia, silentium, otiositatis fuga, pau-
pertatis votum, vita communis et similia quam fidelissimè observentur;

---

militia sese exercendi novi illi Christi milites in animum inducent, si vel
ipsos Veteranos invenerint a perfectione seraphica non leviter deficere;
hoc est si eos invenerint propriis passionibus deservire, otio putrescere,
gulę, et somno indulgere, privata commoda quęrere, secularibus amici-
tiis pasci, superflua vel curiosa conquirere, terrenis negotiis implicari;
aut sępè foras ire, è choro sępè abesse, sępè silentia rumpere, singulari-
tatem sectari, communem vitam non tenere; vel in cella raros esse, in confabu-
lationibus frequentes, in tricis, et nugis strenuos, avidos ad habendum, dif-
ficiles ad parendum, proclives ad murmura, promptos ad propria, tar-
dos esse ad communia. Hujusmodi profecto exemplis, quidquid perfectionis
observantię, virtutis in corde eorum a Magistro instilletur, velut ab uren-
te quodam vento abripiatur, marcescat, radicitusque exiccetur necesse est.
Norunt enim apprimè juvenes eandem se ac Seniores professionem emisisse,
eundem statum professos, iisdem legibus subdi, iisdem votis obstringi, ad eandem
non ad aliam perfectionem obligari: ergo vel quod ab aliis impune, passim
fidenterque fieri observant, sibi quoque licere sentiunt, et veluti rigo-
ris nimii nec necessarii Magistrum, qui ad perfectiora dirigit, incusant,
Vel certe, quam in Seminariis servant disciplinam non virtutis amore,
sed timore solum servili humanoque dudi respectu servantes, protinus
ac inde evadendi facultatem habuerint violente illius servitutis excusso
jugo, non ut vivendum sibi esse audierint, sed ut a Majoribus duci
vitam viderint, mores suos instituunt: hoc est post aliorum, quę observarant
relaxationum vestigia pressè gradiuntur; nisi potius quod et probabilius
est, veluti canes e diuturna catena soluti, et fluminum instar quę
ruptis aggeribus furiosius debacchantur, in vitam ceteris laxiorem

et in transgressores severius animadvertatur. Quod si in Sancta visitatione prefatam regularem observantiam in viridi positam non perspexerimus, si id subditorum renitentia evenerit, ii, cuiuscumque etatis, gradus, conditionis fuerint ut pecudes morbide é cenobiis prefatis amovebuntur; aliosque subrogabimus, qui sue professionis memores sub sancta disciplina se continere non renuerint; si vero ex Prelatorum negligentia id acciderit: iidem, ut Pastores ceci, desides, inepti, et nihil de comuni bono soliciti ab officio, quod utre administrare nesciunt, vel negligunt, absque ulla spe venie privabuntur aliisque, quibus regularis observantia cordi sit animarum regimen concedemus. nec enim privatione tantum officii, sed tot mortibus, inquit D. Gregorius Magnus, Prelati digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. *

apud Cornel. a Lap. in c. 34. Ezech.

---

impetu quodam et effreni vi prolabuntur.

* Hoc summi momenti est, ut regule, et Constitutionum, hoc est regularis observantia in locis ubi Seminaria collocata sunt, adamussim vigeat, et si adversus eam vel Superiorum incuria vel natura ad malum proclivi abusus quicumque sint irrepserint, nulla admissa quoad hoc excusatione causa, pretextu, consuetudine prorsus et ex integro de medio auferantur. Ad hoc quidem procurandum in singulis cenobiis Superiores omnes, et subditi, singuli pro posse suo sub gravissima culpa obligati sunt, ut communiter docent Theologi; itaut Prelati negligentes discipline regularis ubi viget conservationem, et ubi laxata est restaurationem; et subditi quovis quesito colore resistentes, a mortali peccato non excusantur, imo in continuo damnationis statu miserrime vivunt. Vide Dominic. Bannez in 2. 2. q. 33. ar. 3. dub. 3. Concina discipl. Apost. monast. p. 2. diss. 1. n. 6. Lugo de justit. disp. 9. sect. 2. n. 21. Tamburin. de jure Abb. t. 3. disp. 3. q. 6. n. 10, Salmantic. t. 3. tr. 15. §. 63. fol. 47. Anton. a Spir. S. direct. reg. tract. 4. disp. 4 sect. 7. n. 316. S. Dionys. Carthus. de reform. claustr. art. 6. &c. Qui communiter docent vel ipsarum Constitutionum transgressiones ~~[illegible]~~, etiam preciso contemptu, religiosum constituere in statu mortalis peccati, et sub gravi teneri Superiores ad earumdem observantiam promovendam, et si opus est restituendam. Quod si in cenobiis singulis tanto hec rigore a Prelatis, et respective a subditis procuranda sunt, multo magis in illis, que Iuventuti exemplaria esse debent, ut seraphicam perfectionem addiscant, et in ea proficiant, eidemque assuescant.

10. Denique cum in posterum pro sacristię munere obeundo alia methodo ob Clericorum defectum procedendum sit, ne divinus cultus, nitorque, et munditia in Ecclesia, Choro, Dormitoriis et alibi ulla ex parte minuatur, hęc, cęteris futuris temporibus inviolabiliter servanda pręsentis etiam decreti tenore statuimus, et ordinamus, ut scilicet, sicut Novitii in locis Novitiatus, et Clerici in locis Seminariorum, ita etiam in locis ubi Studia erecta sunt Studentes etiam si Sacerdotes fuerint, eorum integro septennio id munus fideliter exequi teneantur. In aliis vero locis (ubi defecerint Clerici, qui actualiter exibunt, quique sacristię usque dum Studio applicati fuerint vacare debent, vel qui ut inhabiles é Studio expulsi fuerint) eorum vice Sacerdotes illi in Capitulis vel Congregationibus ab A. R. Diffinitorio subrogentur, qui nec concionandi munus, nec aliud pro comuni utilitate officium exercent, quique vita ac moribus pręstantes aptioresque ad omnes injunctum exequendum dignoscuntur: Idque (excepto ut vocant acolythatu, quod munus quoad primum Acolythum ab infimo Sacerdote, nisi actu hebdomadarius fuerit, quo casu suppleri debet ab immediate antecedente: quoad secundum vero ab eo qui hebdomadam suam immediate expleverit, eoque absente a proximé sequente Sacerdote ut moris est executioni mandetur) his exceptis, ut diximus Sacristię inferioris, et superioris officium fideliter exequatur, prout in pluribus nostrę Religionis locis usui receptum est, ac etiam aliquando in Ordinationibus generalibus in quibus Seminariorum promovebatur erectio statutum fuerat.

Quadris autem Superiorum localium charitati, et prudentię committimus ut in gravioribus exercitiis extraordinariisque laboribus, aliorum fratrum opera eisdem, prout expedire judicaverint, opitulentur; meminisse tamen debent Sacerdotes ad hoc munus electi nil prorsus supererogationis, eorum statu quem professi sunt attento, pręsenti decreto eisdem injungi. Pręcipiunt enim Constitutiones nostrę c. 5.
ut ubi non fuerint fratres in spiritualibus exercitiis occupati, manuali aliquo honesto labore tempus insumant. Et in Seraphici nostri Patris testamento scriptum est se velle fratres suos ut honesto labore operentur, et qui laborare nesciunt discant, tum ut aliis boni odoris sint, tum ut otiositas vitetur. Imo in ipsa regula cautum est, ut quibus Dominus laborandi facultatem dederit c. 5.
fideliter ac devote laborent, ut otium animę inimicum excludatur. Hac de re horas illas, quę a servitio chori aliisque spiritualibus exercitiis supersunt alii ex religiosis nostris studiis, alii in [illegible] corrigendis, alii in [illegible]

diendis confessionibus, alii in conquirendis eleemosynis, alii in aliis obedientiæ operibus utiliter insumunt. Quapropter Sacerdotes illi, qui nulli bono exercitio sunt addicti ex seipsis, ut regulæ, et constitutionibus pareant in aliis utilibus, et honestis operibus se occupare debent. turpe enim esset, ut dum omnes eundem statum professi sunt, ac eodem potu, et obsonio pascuntur, eodemque vestiario induuntur, aliqui tantum ex ipsis deberent laboribus atteri, et aliis liceret otiose vivere, et pluribus per diem horis ab omni honesto exercitio feriatos esse. Alacri ergo animo Sacerdotes quibus sacristiæ cura concreditur hoc munus quod et honestum, et personis ecclesiasticis dignum est, suscipiant, et ea quam par est diligentia absolvant, tum ut regulæ, constitutionibus, suisque Prælatis pareant, tum ut religioni, et provinciæ utiles sint, tum ut otium vitent, honestisque laboribus tempus insumant, tum denique ut tanto promovendo bono quale est Clericorum educatio, quantum est ex parte sua non obicem, sed opem ferant. Si quis vero, quod non credimus, cum animæ suæ pernicie otio potius marcescere avet, quam ut religiosum decet, honestis operibus tempus insumere ob quod ordinationi nostræ parere detrectaverit, pro negligentiæ merito cibi et potus subtractione se plectendum sciat, quoniam ut ait Apostolus si quis
2. Thess. 3. 10 non vult operari, nec manducet. Iustum est enim, ut qui operam suam Religioni fideliter præstare recusset, nec ei alimenta integra a religione ministrentur.

Ut autem præsens decretum, quod pro re tanti momenti, pro clericorum scilicet educatione sum̃a maturitate, et discussione editum est, cæteris futuris temporibus ad Provinciæ nostræ spiritualem profectum, omni qua decet observantia executioni mandetur, volumus ut idem in authenticam formam redactum, et sigillo nostri officii, tum Diffinitorii subscriptione munitum, quam citius promulgetur, et ejus transumptum seu copia vulgari lingua ad Conventus omnes ubi seminaria erecta vel erigenda sunt transmittatur; et in eis, ne unquam memoria excidat, quoties Constitutiones nostræ legendæ sunt in publica mensa perlegatur et ubi opus fuerit explicetur

Datum.

Consiglio nel Settembre del 1760

Appendice

Tra le altre varie edizioni delle nostre Costituzioni che si trovano nel luogo vecchio de' Capuccini di Reggio ve n'è una stampata in Roma l'ann. 1638 in cui al cap. 2. si trova inserita l'erezione de' Seminarj colle seguenti parole.

Ed accioche i Novizj meglio imparino a portare il giogo del Signore, s'ordina che anco dopo la professione stiano sotto la disciplina del Maestro almeno per tre anni; e quello che sarà loro Guardiano sia il lor Maestro facendo loro osservare &c. Anzi perchè il mantenimento della Religione consiste principalmente nell'educar bene la gioventù non solo ne' Novizjati, ma anche fuori di quelli; s'ordina, che conforme al Decreto di Clemente VIII. per ogni modo si facciano li Seminarj de' Giovani novellamente professi li quali per due anni almeno, ed anco per più tempo, se così sarà giudicato bene da Padri Provinciali, si dovranno tenere come si tengono i Novizj, assegnando loro per Maestri, e Superiori persone atte ad istruirgli nelle cose dello Spirito, e dotate, come disse il sud.to Pontefice di quelle condizioni delle quali devono esser adornati i Maestri de' Novizj: E i Padri Guardiani, e Maestri de' Seminarj facciano gli esercizj, o conferenze spirituali almeno tre volte la settimana, ragionando tanto a cherici, quanto a laici giovani delle sante virtù, e di quella cose, che i Maestri della vita spirituale insegnano per caminare all'acquisto della perfezione. E se alcuno de' PP. Guadriani, o Maestri in questo sarà manchevole, per ogni modo nel capitolo seguente sia deposto dall'uffizio. E nell'istesso tempo nel quale dimoreranno li Giovani Cherici ne' Seminarj, si potranno, anzi come dice il sud.to Decreto di Clem. VIII. si dovranno per qualche ora del giorno applicare a studio conveniente, come di grammatica, e cose appartenenti all'Ordinazioni, accioche quando si leveranno da' Seminarj siano ritrovati atti per servire alla religione, in quello che sarà da essa giudicato meglio.

E dopo molte altre cose concernenti la buona educazione de' Giovani, come v.g. che niuno entri in cella loro, che essi non siano applicati di soverchio a corporali esercizj per aver tempo di studiare, e far orazione &c. che se alcun

frate ~~sia~~ a lor cagione di rilassatezza sia punito severamente, e rimosso dalla famiglia &c. dopo queste e simili altre provvidenze circa l'educazione della gioventù conchiudono questa materia dicendo/

Ed affinchè per la carestia de' Cherici li quali ordinariamente fanno la Sacrestia, non si lascino le Seminarj: s'ordina, che nell'avvenire tutti quelli, che saranno ricevuti per Cherici, o che saranno Sacerdoti, e che col tempo tanto gli uni quanto gli altri non saranno Predicatori, siano tenuti far la Sacrestia sino al duodecimo anno della loro ricezzione, ed anco per più tempo, se sarà così giudicato bene da' Padri Provinciali; e quelli che ricuseranno senza causa ragionevole da giudicarsi tale da essi Padri siano privi di voce attiva, e passiva sino al duodecimo anno. La qual pena si potrà rimettere ogni volta, che questi tali riconosciuto l'errore prometteranno emendazione, e si conoscerà dagli effetti, che dicono da dovero.